IOAN NIS VVARSENII HV-

iensis epitome, siue compēdiaria descriptio tēporum, & rerum a populo Romano domi forisq; gestarum ab vrbe condita vsq; ad natum Christum, candidatis rerum Priscarum egregie vsui futura ad clarissimum adolescentē D. Dominum Philippum a Marka Illustrissimi D. Domini Cardinalis Leodieñ. ex fratre nepotem.

LOVANII
Ex officina Rutgeri Rescij
Mense Septembri.
.1534.

IOANNES VVARSENIVS

Hoyensis Generosissimo D. Domino Philippo a Marca, Archidiacono Hasbaniæ, Præposito Eykēsi, Domino meo, & amplissimo Mœcenati, S.D.

IAM inde, ut aiunt, a teneris unguiculis generosissime adolescens semper tota animi contentione enisus sum quoddam mei beneuolētis erga te animi prodere specimen. At cum fortunarum mearum exilitatem cogitatiōe accurratius permetirer, ab earum pusillitate munus præstari nō posse, quo ulla nostræ erga te propensionis ratio constaret, animo concidebam miser, utpote, quod iustissimo dolore concuterer me tam infelici sydere natū, & duris fortunæ aculeis semper ita importune extitisse exagitatum, ut ob sordes nostræ inopiæ, quibus obsitus sum ab ingratitudinis nota non pos

sem

ſem uindicari, præſertim cum ego a primis tuorum ſtudiorum rudimentis, ita ſemper, quæ tua eſt ingenij facilitas, in quoddam familiaritatis commertium tecum coaluerim, ut putidulus planeq; ab omnibus gratiarum ornamentis per q̃ alienus iam merito cenſerer, niſi coner pro modulo rerum mearum quippiam comminiſci, unde noſtri pectoris erga te rationem cōteſtatam redderem. Verumenim uero tua humanitate fretus, memorq; olim laudatiſſimi Artaxerxis, quē Plutarchus refertutraq; manu hauſtam aquā a ruſtico etiam importune delatā placide benignoq; uulu accepiſſe, Non quidem muneris exiguitatem ſpectaſſe, ſed animi ardorem officij præſtandi alacritate ſuffultum, Auſus quoq; uel importune beneuolus iſtud chartaceæ fœturæ munuſculum, imo aborſum potius tumultuario enixum partu ad tuam celſitudinem tranſmittere, quo uno, citra ullam arrogantiæ ſuſpitionem dixero, nihil neq; ad Romanæ hiſtoriæ cognitionem commodius, neq; profecto ad totius Titi Liuij pelagus feliciter obeundū aptius (dicam iā q̄ddam liberrime, at non citra ſycophantarum calumniam) atq; etiam illius reconditiores, quodam tamen præcipuæ et inimitabilis maieſtatis ſplendore illuſtres

 ſenſus

ſenſus explicandos, percipiendoſq; appoſitius quicq̃ effingi poteſt. Maxime cum iſtud unum in conſpicuo ſit eum de compoſito ſuæ orationi eam uim & energiam indidiſſe, quæ potiſſimum tironibus nondumq; extra triuiorum puluerem prouectis, in imos ſenſus affigi, imo ne tenuiter quidem allini poteſt. Accedit & iſtud, quod paſſim a magni nominis autoribus in literas relatum ſit plæroſque Romanæ hiſtoriæ priſcos ſcriptores, poſteritatis uſui ingeniorum & induſtriæ excudiſſe monimenta, ſubinde locorum quaſi ſalebris quibuſdam eſſe circumſepta, & amfractibus ueluti præcipitiorum circumducta, ambita, circumſeſſa, quæ plærumque iſtis contractioribus præſentis Epitomes indicibus citra ullius difficultatis diſcrimen inoffenſe tranſmitti queat. Quãquam nolim ullum arbitrari, me ita in pronunciando alienæ induſtriæ iudicio animo excidiſſe, ut arbitrer in hac rudi et craſſa rerũ a populo Romano geſtarum Iſagoge, per omnes, quod dicitur, numeros, priſcæ hiſtoriæ rationem prorſus tractatam eſſe, ſed duntaxat compendiarijs notis ita conſignatam & indicatam, ut locupletiori temporis ſuppetenti otio, tum candidus lector uberius reliqua commodũ cognoſcere queat. At ex

iſtis

istis censorculis clamauerit quispiam ad sycophantiæ fucos natus. Quid quod etiam ne (quod ueteri prouerbio dici consuetum est) hic nouellus Anacharsis Penelopes telam retexere nititur? Tu ne (inquit) Floro laudatissimo Epitomarum scriptori gloriam præripere quæris plagiarie? Apagesis hæc uerborum probra. Tãtisper iudicium sustine, dum penitus nostri conatus candorem cognoscere occœperis. Nõ enim in hoc proscenium prodimus, ut alieni nominis splendorem studeamus imminuere, aut posteritati traditam alienæ gloriæ dignitatem uelimus inuide conuellere & labefactare. Quorsum enim tam iniquum studium susciperes? Porro Philautia nõ ita nos sui stupore defixit, quin in sensu stoliditatem, in iudicio nostrã hebetudinẽ, & in stylo dicendi imbecillitatem agnoscamus. Verum enimuero quoniam iam inde a quadriennio Huij ꝑ ueteri more (ne otio inerti obtorpescerem) in secessu meorum studiorum abditus, amicis cõgerronibus, & mihi ad otium temporis oblectandum Titi Liuij enarrandi susceperam prouinciam, magnaq; cum suauitate nostrum omnium loca illa obscuriusculis subindeq; obrepentibus hyparbatis hiulca & intercisa enarrarem pro modulo uirium

inge

ingenij,uiſum eſt operæ pretium in ordinem epi-
tomes, quæ per id temporis dictaueram obiter a
plæriſq; etiam tumultuanter, quæ mihi exciderant
excepta,redigere, arbitrans priſcarum rerum can-
didatis uſui fore,ſi typis efformata publico manda
rentur,quo latius ad plures ſeſe iſtius qualiſcumq;
noſtræ induſtriolæ lectio iam inuulgata diffun-
deret. Nec putet cādidus lector hoc noſtrū eo uer
gere inſtitutum,ut Lucij Flori tanti autoris quaſi
luminibus obſtrui poſſe putem(abſit enim a nobis
ita inconſulta temeritas)cuius præſertim ſcribendis
epitomis dexteritas omnium ſæculorum calculis,do
ctiſſimorumq; conſenſu ſic extitit commendata,ut
eo nomine apud omnem poſteritatē perpetuæ exi-
ſtimationis fidem ſit feliciter conſecutus. At iſtud
unum bona uenia omnium impetratum uelim, ut
ſaltem hic qualiſcumq; libellus ad Flori exemplar
conferatur, atque intentius paulo animus defiga
tur in acrem diſquiſitionem,utrobi aut potiora pau
cioribus, aut etiam(quod dicitur)arctiori uerborū
pomœrio plura perſtricta ſint. Quāquam non ita
uel ſtolide ambitioſus ſum, ut me tirunculum a-
thletam exoptem, cum ſpectatiſſimo Milone, &
antagoniſta Floro in contentionis arenam deſcē-

dere

dere. Neq; ita stupeo ab animi affectu & rationis recta constitutione, ut non intelligam eam dignitatem existimatiomis illi semper sic illuxisse, ut ad illius umbram ne aspirare quidem contendam. Istud uel sacramento dicere ausim Generosissime domine tibi longe iter instructius, paratius expeditius q; obuenturum istis qualibuscumq; etiã obiter effusis, confictisq; commentarijs ad Romanæ historiæ memoriam, cuius tibi peculiariter lectione animus ad honestæ uoluptatis delitias permouetur & adducitur, quam ex multorum etiam serio elucubratorum operum monimẽtis, quæ ut sũt dumtaxat ad ostentationem conflata, ita repente uelut rapidissimi turbinis in morem citra aliquod bonæ frugis subsidium ex animis legentium euanide discutiuntur & difflantur, in quibus opera melioresq; horæ irrita fructuum commodorumq; expectatiõe turpiter collocãtur. Quã præstat igitur istis rebus certissimis rerum priscarum indicibus industriam gnauiter suam indulgere, quibus potissimum partis et prudentissime ex ueterum exemplis nostra instruimus consilia, & ad eorundem præscripta quasi ad amussim felicius sanctiusq; uitæ nostræ cursum moderamur. Possem hic illustrissime

ſtriſſ. adoleſcens cõmemorare olim a noſtris maio ribus hiſtoriæ reddita laudis elogia. Eã uitæ lucẽ, prudẽtiæ alumnã, locupletẽ priſcarũ rerũ memoriæ theſaurũ, qui ſæpenũero citra huius fulcimẽtũ hiſtoriæ ſenſim obrepẽte obliuiõis iniuria rerũ omnium inuſtarũ acciſarũq; obliteratrice collabetur & cõcidet. Cæterum cũ genere humano præclarius ageretur, ſi ſummi monarchæ & reges, q gerũt ea uelut in omniũ gẽtiũ theatro ac poſteritatis oculis ſe gerere arbitrarentur, & q maxime excellũt, hiſtoricorum monimentis conſecrata ſimilium uirtutum accenſi ſtudio, & præſtabiliũ operũ, execrãdorũq; uitiorum facinora tuti, & altæ ſecuritatis muniti præſidio perlegere poſſint. Siquidẽ antiqtatis ignoratio ſemper pueros, et ſẽſus uitæq; cõmunis inopes nos eſſe cogit. Et cũ in rebus humanis nihil certi, nihil explorati, fluxas opes, lubrica regna, omniaq; qlibet ſolide cõſtabilita, cõpacta, & coagmetata eſſe cõſpicemur, adeoq; deſultoria quædã uiciſſitudine admirabiliũ euẽtuũ cõſerta et perplexa, ecqd præſtabilius hiſtoria? cuius fide incolumia omnia cõtinẽtur, & a ppetuæ obliuiõis interitu aſſerũtur. Poſſẽt id genus plurima in mediũ adferri, ſed fortaſſe hiſce recẽſendis, quoniã ad hiſto

riæ ca-

riæ elogiũ magni nominis ſæpe autores deſudarũt, faſtidiũ marcẽtibus legẽtiũ ſtomachis inferretur. Supeſt ut hũc noſtrũ conatũ boni cõſulas, q tã certe mihi propenſiſſime reponẽdi meriti uolũtatis ſum conſcius, quam tantæ facultatis inops, qua tamen una ratione licet non ingrato eſſe. Nunc ago tibi gratias q̃ poſſum maximas, & id ſedulo agam, ut nec loci nec temporis occaſione defuiſſe uidear, quin commemorando, ſcribendo, prædicando πάντα λίθον κινῶν, ὅλως πάντα γενόμενος ſumma in me merita tua teſtificor, quibus, quæ tua eſt ſingularis humanitas, ita me ſemper amice & candide complexus es, ut ingratitudinis nota merito mihi inuretur, niſi omni ſedulitate coner qualemcumq; tuæ celſitudini animi beneuolentis memoriam præſtare, præſertim cũ nunq̃ interquieueris accuratiſſime eſſe ſollicitus tãtiſper, dũ ego in clientelã Reuerẽdiſſ. D. Domini Cardinalis Leodien. aſciſcerer, præſulis õnibus ijs animæ et corporis prædiri dotibus, quæ uiro õnibus nũeris abſoluto dignæ uideri queãt, et pinde cuius nominis ſacrũ auſpiciũ omniũ calculis idoneũ cẽſeatur, qđ in ppetuã nũq̃ deſituræ poſteritatis memoriã cedat. Id qđ ſi alias ũq̃ iã hoc ſæculo erudítiſſ. uirorũ puẽtu uberrime

fœcundo con

continget Erardum a Marca Cardinalitio galero insignitum Antistitem incomparabilibus animi et fortunæ muneribus conspicuum omni genere monimentorum perrenni posterorum memoriæ consecrari, nullo æuo inde exoleturum, cui uitam quàdiutissime incolumem apprecor, etiam perpetuo & inoffenso quodã fœlicitatis tenore cõfertam, quo populus Leodinus tot olim, antequam præclarus ille heros Leodinæ ditionis esset admotus imperio, bellorum, predarũ, stragis calamitatibus exagitatus. Huius unius principis nomine tanq̃ sacra anchora subnixus, quasiq; Homerici Aiacis contectus clypeo suauiter in alto pacis otio acquiescat, istis Luthericarum seditionum tempestatibus non exæstuans, quibus (proh dolor) omnis Christianæ, ueræque persuasionis a Christo Opt. Max. nobis traditæ religio misere & exitiabiliter conquassatur, proteritur, opprimitur, ita longe lateq; per uniuersi orbis quasi uiscera ueneno diffuso & promanante, ut abs pestilentissima illa inanium dogmatum, & fucatæ pietatis tabe nihil iam tutum atq; immune conspicemur. Cui malo illustrissimus Cardinalis Leodiensis antequam tacito usu in uires assurgat sua sententia, qua nihil sapientius, & mente, qua nihil

nihil grauius neq; moderatius, remedium præsens obiectat. Postremo illustriss. adolescens, idemq; mi Mœcenas optime tota animi contentione enitē dum est, ut omnis rationis tuæ acies ad illius typum referatur, quo gentis Marcanæ, stirps Leodini præsulis uirtute toti orbi conspicua, tua etiam industria ad cumulatam claritatis amplitudinem in posterum emicet & renideat. Vale.

Churingiæ ipsis Idibus Aprilis. 1534.

IOANNIS VVARSENII HVIENSIS

Epitome, siue compendiaria descriptio temporum, & rerum a populo Romano domi forisq; gestarũ, ab urbe condita usq; ad natum Christum, candidatis rerum priscarum egregie usui futura, ad clarissimum adolescentem D. Dominum Philippum a Marca illustrissimi D. Domini Cardinalis Leodiensis ex fratre nepotem.

VRBEM Romam orbis caput aliquando dictum, & amplissimi imperij iure in hãc usq; diẽ fœlix condidit, aut instaurauit Romus, qui & Romulus dictus est, Iliæ Vestalis uirginis filius. Nam & syderum locum habitumq;, tempore quo cœpta est condi, obseruauerunt uetusti, ex quorum numero fuit Lucius Tarucius Mathematicus Chaldaicarũ disciplinarũ literis apprime eruditus, & M. Ciceroni dicendi facultate omnium consensu sæculorum laudatissimo impense familiaris, ut ab ipso in libro de diuinatione secundo memoriæ

produtũ

proditum est. De huius siquidem urbis conditæ horoscopo uarijs illustrium autorum opinionibus concertatum est, nisi quod multis refragantibus doctissimus Manlius lib. 4. in medium ista produxerit.

Hesperiam sua libra tenet, qua cōdita Roma,
Orbis & imperium retinet discrimine rerum,
Lancibus & positas gentes tollitq; premitq;,
Quin etiam Romulo libram tribuit, Qua
genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem,
Et proprijs frenat pendentem nutibus orbem.

Profecto de huius gentis, urbisq; origine, quo illustrius semper fuit nomen im terris, eo uberior & accuratior nobis ea de re sermo esset instituendus, nisi peculiari instituto decretum esset omnia in arctum conijcere. Plurima enim Sempronius, Iuliusq; Solinus literis commēdarūt, nempe. 11, Calen. Maias, die Palilium, eam extitisse urbē conditā, plurimaq; ex Tarucio, cuius iā cōmeminimus, Plutarcho autore, de syderū positu, et apotelesmatis adstruxerūt. Hic enim p suæ eruditiōis magnitudine, scite Romuli genethliacō cōscripsit. Verū culpa et errore scriptorū ita labyrinthis et ābagibus diffusū, septū, et intricatū, ut opus sit Oedipo cōiectore

At nea

At ne præter institutum in re tam uarijs exagitatis iudicijs, controuersijsque authorum excussa & disceptata plus nimio operam locasse uidear, citra lectoris parum anxie curiosi, aut commodum aut uoluptatem, constat hanc urbem omni ætati semper memorabilem sui cepisse initium, Anno a condito orbe quatermillesimo quadringentesimo quadragesimo nono, ante natum Christum septingentesimo quinquagesimo secundo.

¶Romulus primus Rex.

ILIA seu Syluia Rhea Numitoris filia præfecta fuit ei sacerdotio & ordini uirginum, quæ Vestæ sacra factitabant, olim a Phrygibus, a pio Aenea in Italiã aduecta, quæ ijs legibus sacrosanctis obstringebantur, eiusue ordinis sacramento adactæ uirgines, ut sempiternum ignem asseruarẽt & tuerentur. Ea igitur Ilia, siue genij alicuius, siue mortalis potius compressu pregnans facta, gemellos peperit, qui iussu Amulei magni patrui in Tyberim abiecti, mergi non potuerunt, siue ita annuentibus fatis, aut quoniam in flucutis aquæ alluuiẽ temere essẽt expositi, restagnãtibus fluctibus, sensimq;

ſimq; ſeſe imminuentibus, ipſius marginis crepidini impacti extra alueum in tutum proaucti ſunt. Dictiq; ſunt a robore de Græco uerbo ῥώμνυμι. Cæterũ dum uterq; fratrũ paulatim auctibus quibuſdam in adultiorem ætatem creſceret, urbiſq; recẽtis (cuius mœnia aratro deſignauerant) pomœria ſenſim exporrectius ampliuſq; expanderentur, tandem ætatis inter eos nullo diſcrimine, de regno in contentionẽ uentũ eſt, dumq; ab imperita hominum multitudine uterq; rex conſalutatur (ut natura neminem ſui imperij tolerare poteſt conſortẽ) animus Romuli atroci œſtro doloris ilico perculſus eſt. unde protinus ex leui altercatiõe iurgium, ex iurgio certamen exoriretur, accenſiſq; animis uelut inter ſe acies utrinq; ex interuallo diremptæ cominus confligunt. Dumq; incautius Remus obſiſtit, occiditur, quo parricidio re Albana auo permiſſa ſoli illi urbis a ſe conditæ imperium aſſertum eſt. Hanc primam incoluere plæriq; ex Alba longa aſcitis finitimis gẽtibus. Cumq; urbs nouella non ſatis numeroſa multitudine ciuium frequentaretur, aſylum aperuit proxime arcem locum ſacroſanctum, quo tutelæ & ſecuritatis gratia a noxiis aliarum gentium uelut ad uitæ ſalutare præſidiũ

confuge

cōfugeretur. Adhæc is dū animaduerteret mulie
rum penuria suos ciues premi, Sabinas raptat, quas
specie ludorum in urbem illexerat, ob quod faci-
nus Titus Tatius grauiter cum Romulo utrobiq;
partis adiunctisq; copijs conflictatus est. Verum
pax facile Sabinarum raptarum interuentu, ijs ta-
men conditionibus coaluit, ut in partem regni Ta-
tius asciscеretur, quo tēpore cœpit populus Roma-
nus more Sabino geminis uti nominibus. Nam an
tea singulis erant singula more Græco. Regnauit
Romulus annos. 7. & . 30. a cuius morte populari
opinione in numerum deorum arrogatus est, di-
ctus etiam Quirinus uel ab hasta, uel a Curibus
Sabinis, unde Romanis Quiritium nomen quoq;
uendicatum est. Vir fuit acri animo, consilio pro-
uidus & manu prōptus, qui uario Marte deprelia-
tus est cū uicinis populis, ita ut incōcusso infracto-
q; pectore perpetuæ uictoriæ successum sit conse
quutus. Opima spolia Ioui Feretrio de Ceninensiū
rege retulit, per id tēporis memorabile stratage-
ma. Viuens Altellus uocatus est quasi magnulus si
ue gloriosulus. A plerisq; rerum priscarum scripto
ribus traditum est famaque constanti prouulga-

tũ eum a senatoribus non ferentibus impotens illius imperium et regnum, discerptum esse ad Capræ paludem nonis Quintilibus.

¶ Senatores

Centum ex primoribus sui populi in ordinem Senatorium allegit, cum quibus de regni negotijs domi forisq; consultaret. Et hi a cura & sollicitudine rerum publicarum patres, ab ætate Senatores nuncupati sunt, quorum progenies patricij uocitantur. Postea uero cum rebus Romæ in sublime sese attollentibus regum animi in fastum intolerabilem arrigerentur, Tarquinius Priscus quintus Romanorum rex centum alios adiecit, qui sunt minorum gentium dicti, ut horum suffragijs sua potentia fulciretur. Huius uero primus consul usq; ad trecentos in senatum ex equestri adscripsit ordine. Veteres illi et prisci patres, Recentiores uero ascitiçij conscripti appellati sunt. Progressu temporum ea distinctio ex administrãtium imperia libidine confusa est, & in abiectam redacta uilitatem. Et Caius Cæsar in sua dictatura huius ordinis dignitatem nimia multitudine o-

terauit, ad mille enim fuerunt diuersarum gentium senatores, quos in pristinam dignitatē censura sua reduxit Cæsar Augustus.

¶ Ordines & Patricij.

Populum Romanum diuisit Seruius Tullius sextus rex in tres ordines, in senatoriū, qui erat maximus atq; amplissimus, equestrem ordinem, qui erat secūdus siue medius, et plebeiū siue pedestrem, qui erat tertius uel ultimus. Tū altero mō distinguebatur populus, in plebeios et Patricios. Patricij erant, uel qui per mares descendebant a centum illis senatoribus primis, uel qui a senatu populoq; donabantur eo beneficio, ut Appij Claudij cum e Sabinis migrarunt Romam, uel qui a regibus et post a principibus patricij sunt creati, nisi si q ad plebē uel ultro trāsiere, ut pars familiæ Octauiæ, uel adoptiōe, ut Publius Clodius Ciceroni inimicus. Reliqui cuiuscunq; essent ordinis, Plebei. Senatorij ordinis erant soli senatores. Nam eorum filij nisi lecti in senatum essent, Iam et si patribus fuissent consularibus et dictatorijs, tamē equestris erant ordinis. Sed redeat stylus ad historiæ seriē.

Interre

¶ Interregnum

Romulo mortuo interim dū sine rege fuit ciuitas, deq; nouo creando rege cōsultabatur, quinto quoq; die ex senatoribus creabātur deni, qui populū regio imperio gubernarēt, hiq; interreges dicebantur, et eorū magistratus interregnū, quod nomē mansit quoq; et alijs tēporibus alijsq; magistratibus. Nam inter consules & consules fuit interregnum. Obseruataq; sunt in interregno tria. Primo ne crearetur interrex, nisi a patricijs et de patriciorū nūero. Secūdū ne plures dies durarent interrex q̄ quinq;. Tertium ne primus interrex haberet comitia magistratibus creādis, durauitq; primum istud interregnum annum unum.

Numa Pompilius

Anno post Romuli mortē hic electus ē populi et patrū cōsensu. Habitabat Curibus Sabinis, hō sui æui sanctissimus, et cōsultiss. ut illa ætate iuris et humani et diuini, quē ferūt tā senilis fuisse prudētiæ, ut etiā in iuuētute cano fuerit capite, cana barba. Bellacē populū spē religiōis

pacis artes reuocauit, sacra & cerimonias ciuitati dedit. Anno, q prius erat decē mēsiū, duos addidit. Ianuariū a Iano, Februariū a purgatiōib⁹ ciuitatis, & sacrificijs Maniū. Regnauit duos annos et quadraginta siue ullo bello. Impiū enim existimabāt uicini populi bellū huic tā religioso regi inferre.

¶ Tullus Hostilius rex

Acri ac uehementi ingenio pacis otia rupit. Metiū Suffetiū post uictoriam Horatiorū trigeminorū, quod fœderibus nō stetisset, quadrigis discerpsit, Albam longam diruit, Vnde Romani erant oriundi. Nam cum Aeneas ducta Lauinia latini filia Lauinium condidisset, Ascanius filius Albam longam condidit in dorso Albani montis. Eo transtulit omnes opes regni, ibiq; trecentos annos a tredecim regibus regnatum est usq; ad Numitorē Romuli auū. Hostilius populū Albanū Romā migrare iussit, addito urbi Cælio mōte, fulmine percussus interijt, Anno regni. 32.

¶ Ancus Martius rex

Nepos ex filia Numæ Pōpilij, ꝓbitate ingenij auo nō absimilis, postea Coloniā in portu posuit. Auētinū urbi addidit. Regnauit ānos 4 [illegible]

¶ Lucius Tarquinius Priscus.

HIC fuit Demarati Corinthij fili⁹, q̃ e Graecia in Italiã Tyrãnidẽ fugiens uenerat. Vrbe Tarquinius ꝓfugus Romã ꝓfectus, opibus, industria, et liberalitate cũ ipſũ Ancũ regẽ, tũ populum Romanum ſibi conciliauit, uſq; adeo ut rege mortuo cum ſupereſſent filij regii, ipſi tanq̃ tutori cõmendati, iuſſus ſit a populo imperare. Cẽtum ſenatores ueteribus addidit, Latinos domuit, deq; ijs & Sabinis triumphauit, qui fuit primus Romae iuſtus triumphus. Occiſus eſt a paſtoribus, quos ad id ſubornarunt filij Anci regis, anno regni. 38.

¶ Seruius Tullius rex,

Tullij Corniculani principis & Ocriſiae captiuae filius. Corniculo capto, Matre eius in aulam Tarquinij adducta uterum geſtans ex infantis capite emicuit flamma, per quam Tanaquil Tarquinij uxor interpretata eſt regnum infanti portendi. Quocirca illum ingenue educauit. Generumq; aſciuit ſibi. Et poſt Tarquinij cedem aliquamdiu celatam, uelut ex iuſſu regis res adminiſtrauit. Publicataq; Tarquinij morte cum regno

per-

pmansit, non tã approbãte populo & senatu, q̃ nõ contradicente. Veientes uicit, ordines & suffragia ciuitatis ex censu distinxit, Censum instituit. Interfectus est iussu Tarquinij superbi, Anno quadragesimo quarto.

Tarquinius Superbus

FVIT hic, ut quidam scribunt, filius, uel ut alij, nepos Tarquinij Prisci ex asperitate morum Superbus dictus. Domi multas fecit cædes, Latiũ domuit, Gabios arte filij Sexti expugnauit, Capitoliũ extruxit, uotũ a patre Prisco. Cloacas fecit. In obsidiõe Ardeæ, cũ Sextus filius uim intulisset Lucretiæ Collatini uxori, eaq; coram uiro & patre se occidisset, conspiratione eorum cum Bruto, Valerio, alijsq; principibus uiris regno pulsus ẽ cũ tota domo, Anno regni uigesimo quinto; Itaq; regnatum est Romæ a septem regibus annos ducentos quadraginta quatuor.

Consules.

EXpulsis regibus cœperũt bini singulis annis creari consules, dicti sic, quod non tam reipublicæ consulerent q̃ quod rempublicã, hoc est, populũ et senatũ consulerẽt. Isti magistra

tꝰ erat regius. Fuerũtq; cõſules Romani ab urbe cõdita uſq; ad annũ milleſimũ cẽteſimũ ſexageſimũ quartũ, q fuit principatus Honorij & Teodoſij ſecũdus, quo anno Flauio & Varrone cõſulibus Roma eſt a Gothis capta. Cæterum poſteaq̃ cœperũt dominari Cæſares, cõſulare imperiũ nullius pene fuit momẽti. Manſit ergo uis et poteſtas cõſulatus per annos quadringentos quadraginta ſeptẽ a Lucio Bruto & Publio Valerio conſulibus, Ad Caiũ Panſam, et Aulũ Hircium, qui bello ciuili Antoniano eodem prælio ad Mutinã ſunt occiſi. Conſules fuerunt Romæ eo tempore octingenti præter eos qui eodẽ anno caſu aliquo ſubrogati ſunt. Hoc medio tempore fuerunt Decemuiri legum ferendarum, et Tribuni militum cõſulari poteſtate, de quibus ordinem temporum ſequentes dicemus.

Quid domi foriſq; uſq; ad. 15. annũ actum ſit.

PRimo libertatis anno cõſules creati ſũt Lucius Iunius Brutus, et Lucius Tarqnius Collatinus, Hoc abrogato ꝑpter nomẽ. ſuffectus ẽ Spurius Lucretiꝰ, quo morbo abſũpto creatus ẽ Publiꝰ Valeriꝰ, cui poſtea Publicolæ fuit cognomẽ.

Bruto

Bruto & Valerio consulibus, Tarquinius bellum intulit Romanis. In cuius belli primo prælio Brutus cum Arunte Tarquinij filio concurrens & aduersariũ occidit, & ipse interijt, quem Matronæ tanq̃ uindicem castitatis annum luxerunt. Suffectus est in eius locum Marcus Horatius Cocles. Inde capitolium dedicauit. Sequenti anno, cum ad Lartem Porsenam regem Hetruscorum Tarquinius confugisset, Publicola & Tito Lucretio Spurij filio consulibus cum Porsena & Tarquinio bellatum est graui & periculoso bello. Nam Porsena occupato Ianiculo monte obsedit urbem. Sed ciuitas erecta in nomen libertatis, & uirtuti propositis premijs incredibile est memoratu q̃tũ uiribus corporis atq; animi ad tutandã patriã cõnisa sit, Ita ut inuentus sit Horatius Cocles, qui pontem tutaretur solus. Et Quintus Mutius, qui auderet aggredi regem in castris, quem confecisset ni falsus fuisset a purpura, Clœliaq; tranauerit Tyberim. Itaq; Porsena obsidiõem soluit, Tarquinius ad generum suum Manlium, Tusculanum refugit. Hic quadraginta populos aduersus Romanos incitauit ingentiq; exercitu comparato uenit in agrum Romanũ.

Dicta

¶ Dictator & magister equitum.

Metus tāti belli dictatorē a Romanis creari coegit. Annus est iste ab urbe condita ducentesimus, quinquagesimus secundus, Aulo Posthumio, Tito Largio consulibus Albanorum more dictator est Romæ creatus. Erat magistratus hic plane regius. Nam sine prouocatione erat. Cui etiam parebāt consules. Ipse domi & foris summam potestatem summumq; imperium habebat in ciues & socios. Dicebatur incipiente nocte a consule in terra Italia, difficillimis temporibus reipublicæ, ut populus obediēter imperata exequeretur. Quondoquidē non licebat ab eo prouocare, ut a consulibus. Appellabatur dictator magister populi. Potestas eius erat Semestris, Asciscebatq; sibi Magistrum equitum, qui præesset equitibus. Nam ipse pedester erat semper in exercitu. Fuit primus dictator Titus Largius, Magistrum sibi equitum dixit Spurium Cassium. Post aliquot annos Aulus Posthumius dictator ad lacum Regillū cū Manilio, Octauio, Tarquinio, & Latinis pugnauit. Ingētiq; prælio Latini sunt uicti, quorū opibus fractis Tarquinius exulatum abijt Cumas

ad Aristodemum tyrãnum, ibiq; grauis magnope bi, fatis cõcessit. An. 12. postq̃ expulsus ẽ.

Secessio plebis, & tribuni qui.

Cum usura esset Romæ ingens, nec populus alienum æs posset dissoluere, nec a patribus aliqua ratione subueniretur, Plebs armata secessit in Auentinum montem, anno post expulsos reges sextodecimo, Aulo Virginio Tricosto, Tito Vetusio cõsulibus. Ad quã a patribus sollicitis et trepidis missus est legatus Menonius Agrippa senator ex plebe oriundus, uir illa ætate facundissimus. Agrippa apologo illo nobili de cõiuratione membrorum in uentrem, plebem patribus reconciliauit, patresq; plebi concessere Tribunos, qui pro plebe aduersus iniurias magistratuum uigilarent, & malis eorum edictis intercederent. Creati sunt primi tribuni Caius Licinius & Lucius Albinus, qui tres collegas sibi adsciuerũt. Fueruntq; procedente tempore Tribuni plebis nouẽ. Additusq; tandem decimus est. Erat præterea Tribunatus siue potestas, siue magistratus sacrosanctus, quem si quis uiolasset eius caput sacrum erat Ioui, bona & familia publicabantur ad Cereris.

Inter-

Intercessio.

VNus satis erat potẽs ad turbãda ædicta reliquorũ magistratuũ, etiã ea quæ ab ijs nouẽ collegæ decreuerant senatuscõsulta, nisi ipsi approbassent non habebantur rata.

Quæ deinde acta.

BEllũ postea cũ Volscis ẽ gestũ, quod fuit pene ãniuersariũ. Martiꝰ Coriolanꝰ Romanꝰ exul a Volscis ꝑ duce acceptus, graue bellũ intulit Romanis, õniaq; eorũ oppida ex Volscorũ pte coegit, et recepit, castraq; ad quinq; milia passuũ ab urbe posuit. Nec arma a Romanis expediri poterãt ꝓpter uanas uolũtates plebis et patrũ. Flexus tandẽ Coriol. et lenita animi acerbitate lachrymis matris, uxoris, et aliaꝝ mulieꝝ, exercitũ dimisit. Duobus ãnis post ꝓuulgata est lex Agraria a Spurio Cassio cõsule, quæ sẽp magnoꝝ in ciuitate motuũ cã fuit. Bella hinc incepta cũ Phaliscis, Veiẽtibus, Aequis, Fidenatibus, et alijs uicinis gentibus multos p ãnos uirtutẽ Romanã exercuerũt. Fabij 300. et 6. q belliũ sibi aduersꝰ Veiẽtes depoposcerãt insidijs Veiẽtiũ ad unũ sũt occisi. Ex ea gẽte unꝰ ẽ paruulꝰ domi relictꝰ, q familiã postea reparauit.

An. ab urbe con-

condita ducentesimo septuagesimo sexto, exercitus Romanus odio consulum & nobilitatis media pugna in Volscos deseruit stationem et locũ. Ideo decimatus est a consule Appio Claudio. Anno du cẽtesimo octogesimo sexto Capitoliũ est a seruis exulibus captũ, et post recuperatum. Magnæ tres annos cõtentiones inter patres & patricios ex una. Tribunos plebis & plebem ex altera parte, dum utriq; ad sese plurimum conantur de republica trahere. Anno ducentesimo nonagesimo quinto Lucius Minutius cõsul ab Aequis obsessus est. Ad quem liberãdũ creatus dictator Lucius Quintius Cincinnatus ruri intentus operi rustico dictator a legatis consalutatus est, qui liberauit consulẽ, uicit Aequos, deq; his triumphauit, et consulẽ abrogauit magistratu, eáq; omnia intra sextum decimum diem, & statim abdicauit se dictatura.

¶ Decemuiri legum ferendarum

Anno libertatis quinquagesimo quinto a cõdita urbe undetrecentisimo, Spurio Tarpeio, Aulo Thermo consulibus, cum diu inter plebem & patres de ferendis utriq; parti legibus deq; legum latoribus certatum esset, Tandem Athe

nas

nas ad describēdas Solonis leges, cognoscēdosq; aliorum Græcorum ritus moresq; legati sunt missi: Publius Sulpitius, Cornelius Spurius, Posthumius Albus, & Aulus Manilius, qui cum proximis rediissent consulibus, Abrogatis cæteris magistratibus, Etiam tribunis plebis, Iussisq; consulibus ipsis Publio Curiatio, & Sexto Quintilio ante tēpus abire dignitate, Decemuiri legibus ferendis siue scribendis summo cum imperio, sine prouocatione creati sunt Titus Geruitius, Publius Cesticius, Lucius Vetruuius, Cneus Iulius, Aulus Manilius, Publius Sulpitius, Publi⁹ Curiatius, Titus Romuleius, Spurius Posthumius. Anno ab urbe cōdita trecētesimo altero decimo die Ius populo singuli dicebāt. Eoq; die penes ipsum erant fasces & lictores, qui ius dicebat, Moderatumq; eo anno fuit eorum imperium. Decem tabulas in foro proposuerunt, quibus ius ciuile Quiritium continebatur. Eæq; comitijs magnis, quæ cēturiata dicebātur, ingenti totius populi consensu approbatæ, receptæ sunt. Cū uero exisset rumor posse totū corpus Romani iuris absolui decem tabulis, si duæ adderētur, studia hominum accēdit ad decemuiros proximis comi-

tijs iterum creandos, ne legibus quicquam deesset. Tum etiam ne consules crearentur, quorum nomen cœperat iam non minus esse ad plebem odiosum, q̃ regum. Siquidem tribunitium auxilium mutuis intercessionibus fragilius indies atq; imbecillius fiebat. Comitijs igitur cũ præesset Appius Claudius, p summã ãbitionẽ seipsũ decẽuirũ iterũ renũciat, collegasq; addit Marcũ Corneliũ Mallu ginensẽ, Marcũ Sergiũ, Luciũ Minutiũ, Quintum Fabiũ Vibulanũ, Quintũ Petiliũ, Titũ Antonium Merẽdã, Cæsonẽ, Duiliũ, Spuriũ Opiliũ Cornicilẽ, Marcũ Robuleiũ, q Idibus Maiis (*quæ tũ erant ineũdis magistratibus solennes*) *cũ centũ et uiginti fascibus, securibusq; in publicũ prodiere, duodenos singuli præferebãt ad ingentẽ nõ plebis solũ sed patrũ quoq; patriciorũq; terrorẽ.* Tabluæ duæ erant adiectæ. Idus Maii post *annum uertentem* redierant, *nec decemuiri abibant dignitate, nec* Comitia *creandis indicebant consulibus.* Arma Aequi, et Sabini *subito acceperãt, exercitus maximis contentionibus scriptus, sed odio ducum, qui decemuiri erant, uinci se uoluerunt.* Appius Claudius *libidine stuprandæ* Virginiæ *omnia iura hu*

ma-

mana cõfundebat, subornauitq; q eã asereret in seruitutẽ. Q d cũ resciſſet pater Virginius, q erat Cẽturio, ex castris ꝑpere uenit in urbẽ. Cũq; uideret nulla ratiõe filiã ab iniuria decẽuiri se poſſe liberare, cultro eã lanij trãſſodit. Populũq; ex facinore ad libertatẽ uocauit. Is etiã rumor in castra platus effecit, ut milites signis et suis impatoribus desertis in sacrũ mõtẽ cõfugerẽt, quo urbana plebs frequẽs cõuenit. Ita decẽuiri coacti sunt abire magistratu, reditũq; est ad cõsules et tribunos plebis. At decẽuiri pœnas sui impotentis dominatus dedere Nã alij se interfecerũt uelut Appius et Opius. Alij exulatũ iuerũt, bonaq; eorũ publicata sunt.

Tribuni militum cõsulari potestate.

PLebs Romana patribus aduersa auxilio Tribunorũ fulta uoluit consulare imperiũ sibi esse cũ patricijs cõmune, quod ne fieret, patricij omni ui cõnitebantur, negãtes esse ius fasq; hominẽ de plebe cõsulare fastigiũ adipisci. Tãdẽ per Tribunos plebis pfectũ ẽ, ne cõsules crearẽtur, sed tribuni militũ cõsulari potestate, ut quoniam consules dicerẽt nefas esse plebeios fieri, Tribuni certe militares esse poterãt, Is magistratus crearentur.

Sed

Sed qui idē iuris haberet quod consules. Quæ res primum est mota in castris militari seditiōe a Vergineo facta, Atq; idem Verginius fuit autor. Agebant enim hoc plebei, ut ad summū imperiū plebs posset pertingere, & patres, quoniam rem aliter tueri non poterant, modo ne consulatus cum plebe uulgaretur, passi sunt. Tribunos militum creari cō sulari potestate, Ex plebe nullus est electus, patricij tres facti, Lucius Attiluis, Aulus Sempronius Attacinus, Titus Celius, Anno urbis conditæ trecentesimo decimo.

¶ Tribuni militum in exercitu.

Erat hic primus honoris gradus in castris, Romulus eū primus inuenit, sic nominatus quod singulis Tribubus dedisset singulos, quorū munus erat coercere militem ne uagaretur, neu infrequentia desereret signa et castra, producere ad militaria exercitamēta, Aegros, et annonā curare. Quæstionibus cōmilitonum minoribusq; litibus ius dicere, uigilias circuire, ne segniter obirentur, erant in singulis legionibus quaterni.

Ceu

Censores.

ANno a condita Roma treceſteſimo duodecimo M.Geganio Maccrino iterũ, T.Quintio quintum conſulibus, cum populus multis annis manſit incenſus propter bellorum curas, quæ ab eo negotio conſulum animos atcedebant. Nec differri diutius Cenſus poſſet, inuentus eſt ei rei proprius magiſtratus. Cenſores dicti a populo cẽſendo, Bini ſunt creati. Quorũ poteſtas initio quinquẽnalis fuit. Hoc namq; tẽpore condebatur luſtrũ populuſq; ſue, oue, & tauro luſtrabatur. Hocq; ſacrificium, ſue, oue, Taurilia primum, dein elifis aliquot literis Solitaurilia dictum eſt. Duobus luſtris poſt eum magiſtratum inuentum Claudio Iulio iterum, Lucio Virginio conſulibus, Marcus Geganius Macrinus altera ſua dictatura cẽſuram ad ſeſquiannum contraxit. Cenſoribus Furio Pacilio, et M.Gegano Macrino. Iſq; magiſtratus tantum poteſtate & authoritate ualuit & imperio, ut penes eum ius poteſtaſq; morum decoris dedecoriſq; & Centuriarum & ſingulorum hominum eſſet, ut & mouere ſenatu, & equum publicum adimere, & ærarium facere poſſent. Bellis deinde ſo

cidi

tiali & ciuilibus Marianis, Lepidano, Sertoriano, inualescētibus corruptis ciuitatis moribus, is magistratus intermissus est. Sed cum flagitia & scelera ciuitatis iam essent intolerabilia, Censores sunt populo redditi opa Pompeij Magni, creatiq; Cneus Cornelius Lētulus, et Lucius Gellius. Publius Clodius Tribunus plebis legem tulit Lucio Pisone, Aulo Sabinio consulibus, Ne quem Censores in senatu legendo præterirent, Neue quempiā aliqua ignonimia afficerēt, nisi qui apud eos accusatus & utriusq; censoris sententia damnatus esset. Fuere igitur primi censores Lucius Papyrius Mugilanus, Lucius Sempronius Atracinus.

¶ Quid deinde actum domi forisq; usq; ad Romam captam a Gallis.

POST Censores primum creatos usq; ad urbem captam a Gallis promiscue Consules et Tribuni militum consulari potestate rempublicam

licam tenuerunt bellaq; cum finitiuis populis gesserunt, quæ non admodum ad rem facit commemorare. Cum ad Tarracinam oppugnãdam Fabius Ambustus Tribunus militum consulari potestate isset, eamq; diripuisset, reducto exercitu, stipendium eo anno captum est de publico militibus dari, & Tributum institutum, et quarto anno post creati sunt octo Tribuni militum cõsulari potestate. Cœptũq; est tum primum in obsidione Veiorũ sub pellibus hybernari, ne a militia discederetur, anno decimo postq̃ inceperant Romani Veios obsidere. Expugnauit eos Marcus Furius Camillus dictator, inuectusq; est in urbem triumphans curru, albis equis iuncto. Actum est per Tribunos plebis de migrando Veios pulchriorem urbem Romana. Huic rei patricij omnes impedimento fuerunt. Veiensis præda quod non esset militibus diuisa, inuidiam Camillo fecit ad populum, Itaq; accusatus ab Lucio Apuleio Tribuno plebis, solũ exilij gratia uertit. Dicta insuper absenti multa quindecim milium æris grauis.

EPITOME.

Vrbs Roma a Gallis capta.

CVM diuersi Transalpini Galli & populi diuersis temporibus in Italiam superatis Alpibus uenissent, sedesq; uarijs in locis cepissent, Senones, qui ultimi pene trāsiere, qui eam incoluerūt regionem, quæ est inter Rophentem fluuium, qui ex Alpibus Tridētinis ortus, Veronam interfluens in Adriaticum megitur mare, post ab Arūte solicitatos, tradunt bellum Clusinis fecisse. Ad quos a senatu tres Fabij Ambusti filij legati sunt missi, ut iniurijs et cæde sociorum abstinerent. Cūq; legati contra ius gentium regem Gallorum obtruncassent, Gallos mire incenderunt, Ita Clusinis relictis ad urbem recta profecti sunt. Interim tribuni militum consulari potestate Romæ creantur septem. Inter quos erant ijdem tres Fabij. Romanus exercitus Gallis occurrit ad Alliam fluuium, qui Tyberi miscetur. Ibiq; infeliciter est a Romanis pugnatum, qui fuga se tutati sunt. Galli postri die Romam uenere. Vbi nullus eam defenderet, diripuerunt primum, deinde incenderunt eam totam præter Capitolium. In quod senatus et totius populi robur se receperant, An. post eandē conditā tre

cētes.n.

tesimo sexagesimo quarto.

Roma quo modo recuperata.

EX ijs qui uel e prælio uel ex urbe fugerãt, Pars Ardeam, ubi Camillus exulabat, Pars Veios, Pars in alias urbes proximas cõcessere. Galli capitolium obsidebant, Fameq; premebãt obsessos, oppugnare tamen non audebant, quoniam semel cum id tentassent infeliciter processerat. Tũ Camillus immemor iniuriæ sibi illatæ, memor patriæ, Exercitu comparato suppetias ciuibus suis ferre constituit. Sed nõ anteq̃ legitime esset ab exilio reuocatus. Itaq; per eos, qui cladi in Capitolio superreãt comitijs Curiatis, & in patriã reuocatus ẽ, & dictator absens est dictus, Adsciuitq; sibi magistrũ equitũ Lucium Valerium. Interea cũ Galli explorassent uiam ad arcem, Qua uenerat & redierat nuncius a Camillo, & silentio noctis tentarent illuc peruadere dormientibus uigilibus & canibus, excitatus Anserum uoce Marcus Manilius, Gallum, qui iam ad summum pene conscenderat, precipitẽ dedit. Ob id facinus inditum est ei cognomẽ Capitolini, Anserq;, q detexerat in lecto, Caius, qui dormierat, in cruce est gestatus. Cẽsoresq;

resq; ab eo tempore primum omnium alimenta an serum locarũt. Obsessi, cum in delectu faciendo lentior Camillus esset q̃ uellent, aut etiam q̃ ferre possent, auro redimere se tentarunt, mille pondo sunt promissa. Sunt qui dicant non transactam fuisse conuentionem. Sunt qui transactam fuisse, sed aurum non datum. Alij & aurum datum uolunt. Vulgatior fama est inter appendendum interuenisse dictatorem cum exercitu, Gallosq; primum in urbe cecidisse, dehinc exactos uia Sabina omnino deleuisse ad octauum ab urbe lapidem, ac ne unum quidem relictum, qui domum renunciare posset cladem gentis. Redijt in patriam Camillus triumphans iocis militaribus, qui solenni more in triumphis iactabantur. Et Senator urbis, & conditor, & Romulus appellatus est. Recuperata est Roma sexto mense posteaquam ẽ capta.

¶ Quid domi forisq; actum usq; ad bellum Pyrrhi.

CVM e capitolio obsessi descendissent, facie sq; urbis incensæ & dirutæ essent miserabiles, de migrando Veios deliberatum ẽ.

Camillus

Camillus adhuc dictator longa & salutari oratione dissuasit, ualuitq; autoritas uiri. Et capta pro omine Centurionis uox dicentis antesignano, cũ in foro esset agmen. Siste hic optime manebimus. Hinc cœpta ẽ reædificari Roma, multoq; pulchrior & magnificentior ex ruinis surrexit, q̃ ceciderat, nisi quod inæqualior, & uicorum specie ac ratiõe parum seruata. Veteres hostes populi Romani, Latini, Aequi, Volsci, Hetrusci, non magis odio, q̃ contemptu lacessere cœperunt gentem Romanam a tanta clade uix respirantẽ. Omnes sunt uarijs prælijs bellisq; uicti, & triumphati. Marcus Manlius Capitolinus cum inuideret gloriæ Camilli a patribus ad plebẽ disciuit. Regniq; affectati accusatus, ex eadẽ arce deiectus est, ex qua ipse Gallos deiecerat. Caius Licinius, & Lucius Sextus tribuni plebis, ad plebem ferebãt de cõsulatu plebeis communicando. Cui rogationi cum magnopere aduersarentur patricij, Licinius & Sextus quintũ tribuni plebis refecti, Comitia eligendis summis magistratibus impediebant. Ita Roma quinq; annos sine Curuli magistratu, siue regio fuit, id ẽ sine cõsulibus & tribunis militum consulari potestate.

De

¶ *De mutatione formæ in Republica.*

ANNO a condita Roma duodequadringẽtesimo reditum est ad consules creandos. Patres enim concesserunt plebi, ut alter cõsul de plebe crearetur, qui domi inter ciues de litibus cognosceret, eo quod consules gerundis bellis essent occupatiores, isq; prætor diceretur. Cũq; ob concordiam ordinum ludi magni essent uoti, nec Aediles plebis ludorum faciendorum onus uellẽt recipere, Patricij iuuenes se in gratiam deorum immortalium suscepturos conclamarunt. Ita eo anno Camillo dictatore comitia habente, Consules declarati sunt Lucius Quilius Mamercus ex patricijs, et Lucius Sestius de plebe, qui decies tribunus plebis fuerat, legemq; tulerat de communicanda dignitate, quæ dicta est Licinia. Prætor Spurius Furius Camillus, eius q tũ erat dictator, filius Aediles, Cneus Quintius Capitolinus, Publius Cornelius Scipio. Proximo anno Aedilitas Curulis plebi communicata est. Marcus Furius Camillus quinto & trigesimo annno postquam urbẽ

recupe-

recuperauerat, maximus domi, & foris interijt. Caius Licinius consul legem tulit de quingentis agri iugeribus, qua postea primus ipse cōdēnatus ē.

¶ Prætores.

VETERES magistratus omnes, qui ius dicerent potestatēq; domi et foris in exercitu prætores appellauerūt. Sic dictator dictus maximus prætor in legibus duodecim tabularum. Et consules prætores, cum etiam in castris tabernaculum imperatorum, prætoriū dicatur, & porta prætoria. Procedente deinde tēpore iuris disceptator, qui priuata iudicabat, uel iudicari iubebat, prætor est appellatus, penes quem omnis publici, priuatiq; iuris potestas fuit, ut & nouum ius condere & uetus abrogare posset, quodq; ipse dixisset, in eius honorem, ius honorarium uocaretur, initio singulis annis singuli creabantur. Sed crescente demum imperio, & gliscentibus negotijs, anno a condita Roma quingētesimodecimo, bello Punico primo, additus est alter, qui inter peregrinos ius diceret, isq; uocatus ē prætor peregrinus. Accessione uero prouinciarum Siciliæ & Galliæ Narbonensis quatuor prætores sunt facti. In principio belli Illirici

primi

primi annis paucis post primũ bellũ Punicũ, duo aliorum ius in urbe dicebant, duo in prouincijs res administrabãt. Aliquot annis post secundũ bellũ Punicũ adiecti sũt alij duo. Itaq; fuere sex. Lucius Cornelius Scylla dictator, quatuor huic numero addidit, propter quæstiones earum legum, quas ipse tulerat de Sicarijs, de Falsis, de ueneficis, et alijs. Caius Cæsar dictator duos, qui frumẽto præessent, quos uocauit Cereales. Cæsar Augustus quatuor. Claudius Cæsar duos, quorum unũ Titus Vespasianus detraxit, Nerua restituit, qui inter fiscum & priuatum ius diceret. Itaq; fuerunt prætores in urbe sub Cæsaribus duodeuiginti. Prætoribus eadem insignia fuerunt quæ regibus & consulibus, Sella Curulis, Trabea, nisi quod lictores tantũ habebant sex. Hunc magistratũ communem sibi plebs fecit cũ patricijs Caio Sulpitio Longo, Publio Helio Peto consulibus. Primusq; prætor de plebe fuit Publius Philo.

¶ Quæ deinde acta.

ANNO ab urbe condita quadringentesimo altero cum & eo ipso anno & superiore pestilẽtia laboratum esset, ludi Scænici sunt in-

sti-

stituti. Et Histriones ex Hetruria adsciti, sequenti anno Curtius in lacum armatus desiliit, uoragoq; clausa est, bella Gallica sunt insequuta, quae maximum terrorem incusserunt ciuitati, ita sunt fortissime & foelicissime gesta, in quibus etiam singulorum enituit uirtus. Titus Manlius, & Mar. Valerius prouocantes Gallos singulari certamine uicerunt, licet non eodem tempore, Torquatusq; a torque Gallo detracto, Torquati inuenit nomen, Et Valerius ab adiutore Coruo, Coruinus est dictus. Latino bello Titus Manlius Torquatus filium quod contra iussum cum Latinis extra ordinem pugnasset, etiam si prospere, capite truncari iussit. Hinc impia Manliana dicta, cuius etiam pater impiosus nominatus est. Eodem bello Publius Decius Mus, cum sua ex parte acies Romana laboraret, pro legionibus se deuouit. Exercitus Romanus ad Caudinas furcas in insidias praecipitatus & oppressus, nudus est sub iugum a Samnitibus missus, quam ignominiam Samnites grauibus suis damnis expiarunt, uicti multis bellis, accisisq; eorum rebus. His temporibus Alexander Macedo Asiam uicit, quem Romani haud dubie expectabant uires Italiae tentaturum. Bellatum est etiam aduersus Appulos, Hetruscos, Vmbros, Marsos,

Peli-

Pelignos, Aequos, Gallos. In hoc bello quod cõtra Gallos, Hetruscos, Vmbros, Samnites, qui simul cõiurarant, gerebant, Publius Decius Mus consul, patris exẽplũ sequutus, deuouit se p̃ suo exercitu.

¶ Bellum Pyrrhi.

CCũ legati Rhomani a Tarẽtinis essent uiolati, bellũ illis est illatũ. Cũ quibus se Samnites, Lucani, Brutii, Ex altera parte Hetrusci coniũxere, Pyrrhumq; clarissimũ Epiri regẽ, ex Aeacidarum gente strennuum imprimis illa ætate imperatorem ad deferendam sibi opem inuocarunt. Pyrrhus in Italiam uenit armis, hominibus, equis, elephantis potens, terribilisq;, cum Valerio Leuino consule fœliciter ad Heracleam Syrimq; fluuium dimicauit, consternatis Romanorum eq̃s, noua elephantorum facie, totumq; Campaniæ tractum usq; ad uicesimum ab urbe lapidem populatus est. Sed uirtutem Romanorum admiratus Cyneam, Demosthenis discipulum uirum facũdissimũ legatum misit Romam cum muneribus amicitiam petens, tum etiam rogãs, ut in urbem reciperetur, quo melius de pace inter eos conueniret, inclinante ad id senatu, sententia Appij Claudij Cæci ne

gatum est, Cyneas regi qualis ei senatus Romanus uideretur inquirenti. Ex regibus constare respondit. Hoc anno Domitius fuit censor primus de plebe. Duobus annis post ad Ascalum in Apuleia Pyrrhus pugnauit cum Publio Sulpitio, & Publio Decio Mure cōsulibus æqua fere pugna. Vbi Decius patris & aui uirtutem sequutus pro legionibus se deuouit, hinc in Siciliam Pyrrhus transmisit. Tertio cum Marco Curio consule in Lucania ad Alusinos campos prælio commisso, uictus utcunq; Pyrrhus discessit, necessarijsq; negotijs domum illum reuocantibus, in Græciam coactus est redire, socijs relictis sexto anno postquam uenerat. A condita Roma quadringentesimo septuagesimo sexto, magnus utiq; uir, & fortissim⁹ cum ille esset imperator, cui inter imperatores secundum locum Hannibal attribuit, cum primum dedisset Alexandro Macedonum regi. His tēporibus incorruptissimi & sanctissimi fuerunt in ciuitate Romana mores, tum uigebant Fabritius & Curius, & alij diuitiarum contemptores. Fabriti⁹ Cornelium Rufinum cōsularem hominem senatu mouit, quod argenti facti pondo haberet.

Quid

¶ Quuid domi forisq; actum usq; ad primum bellum Punicum.

QVAtuordecim sunt anni inter bellum Pyrrhi & primum bellum Punicum. Bellatum est interea cum multis Italiæ populis, idq; fœliciter. Anno urbis cõditæ quadrin gentesimo octogesimo quinto, Quinto Fabio con sule quinq; annis ante primum bellum Punicum, nummus argenteus est primum Romæ percussus, Bigæ et quadrigæ fuerunt signa. Hinc bigati, qua drigati dicti. An. urbis cõditæ quadringentesimo nonagesimo, populus Romanus totam Italiam pa cifice possedit a Pado flumine ad fretum Siculũ. Hinc extra Italiam arma sunt moueri cœpta.

¶ Bellum Punicum Primum

CVM uterq; populus Romanus et Carthagi nẽsis possessioni Siciliæ uicinæ sibi insulæ inhiaret, occasio belli quæsita est. Mamer tini auxiliũ contra regem Siracusanorũ Hieronẽ & a Romanis & Carthaginensibus per factiões quæsierunt, ueneruntq; priores Carthaginenses et arcem occuparunt. Romani deinde prodito ipsis Punico præsidio, arcẽ cepere. Carthaginenses cru cifixo duce præsidij, bellũ magno apparatu popu-

lo Roma

lo Romano intulerunt. Annus hic erat a condita Roma quadringentesimus nonagesimus consulibus Appio Claudio, cui postea ex re fuit cognomen Caudex, et Marco Fuluio Flacco. Claudius fretum transgressus Hieronē, qui se Pœnis coniūxerat, uicit, sed pax illi postea data est, sociusq; rex appellatus. Sequenti anno primi ludi gladiatorij sunt celebrati, quos fecerūt Filij Iunij Bruti in funere patris. Tertio anno Romani feliciter ad Agrigentum aduersus Afros pugnarunt. Quinto anno Cneus Cornelius Asina consul per speciem colloquij euocatus a Pœnis captus ē. Duilius alter cōsul magno nauali prælio Afros uicit. Captæ sūt naues triginta, quatuordecim demersæ, quæ fuit prima naualis uictoria, ac pinde populo Romano (ut debuit) lætissima, cōcessitq; honoris gratia Duilio, ut quoties a cœna rediret funali accenso et praecinente tibicine ueheretur. Sexto an. Caio Aquilio, Lucio Scipione consulibus incerta uictoria pugnatum ē nauibus, Corsica & Sardinia Insulæ a Scipione uastatæ sunt. Septimo an. Marcus Attilius Regulus et Mālius Volsco prælio nauali cū Hamilcare Carthaginēsiū duce cōflixerūt. Victoria p Romanis stetit, sed magno cruore et ingēti

iactura

iactura parta. Sequenti tempore Regulus exercitū in Africam transportauit. Ibiq; equestri prælio Pœnos uicit, Carthaginenses accersito Xantippo Lacedæmonio uiro in bellis exercitatissimo magno prælio Romanos superarūt capto Regulo Imperatore. Decimo An. a Marco Aemylio Paulo et Seruio Fuluio nobiliore cōsulibus, Romani pugnarūt fœliciter. Sed post pugnam Romana classis ingēs naufragium fecit amissis, quod pene fidem excedit, trecentis octoginta quatuor nauibus, quæ partim undis absorptæ sunt, partim scopulis illisæ. Cadauera Romana totum impleuere litus. Hic an nus Romæ conditæ quingentesimus. Sequenti anno Cneo Seruilio, Cepione, Cneo Sempronio Blesso consulibus Romani naufragium etiam passi sunt centum & quinquaginta amissis nauibus, Ita ut patres de rebus maritimis pene desperarent. Duodecimo anno Lucius Cecilius Metellus, cuius collega erat Caius Furius Pacilius, ad Panormum cum Hamilcare duce Carthaginensium prospere cōflixit. Quartodecimo anno Caius Atilius, Lucius Manlius consules Carthaginenses se recipere Lilybæū compulerunt, Atticus Regulus captiuus

ginensium missus ab eis Romam ad commutatio-nem captiuorum tractandam. Cum eam in curia dissuasisset retinentibus liberis & necessarijs, toto etiam Senatu precante ut maneret in patria, Carthaginem redijt, non ignarus ad intolerabiles cruciatus ire se, sed fidem etiam hosti datam liberare maluit, quam molliter in patria uiuere. Ita Carthagine crudeliter afflictus interijt. Appius Claudi9 Pulcher nauale prælium infelicissime cõmisit ducentis fere nauibus perditis, cæsis ex ipsius exercitu militum ꝑpe quadraginta milibus. Hanc ignominiam sequutum est fœdum Iunii Bruti alterius consulis naufragium. Tandem anno uigesimo secundo ab incerto bello Caio Luctatio Catulo, Aulo Posthumio Allicano consulibus ad Aegates insulas sexto Idus Martias ingẽti nauali prælio opes Carthaginensium fregit, pacemq; illis suppliciter petentibus dedit. fatigato utroq; populo bello tam diutino & tam uario. Tributum ẽ Carthaginensibus imperatum, & insulæ omnes Thyrreni maris in Romanorum ditiõem cessere, anno a condita Roma quingentesimo duodecimo.

¶ Quid domi forisq; actum usq; ad bellum Punicum secundum.

ANNO post perfectum primum bellum Punicum, pax erat undiq; Romanis. Itaq; quod signum erat pacis Manlius & Attilius consules templũ Iani clauserunt, anno quingentesimo decimo quarto. Appio Claudio Cæci filio, & Marco Sempronio Tuditano consulibus Lucius Liuius Liuii Salinatoris libertus, primam fabulam dedit Romæ. Isq; fuit primus poeta latinus. Proximo anno natus est Quintus Ennius poeta. Rhodijs oppido Salentinorum anno quingentesimo uicesimo Spurius Garus Ruga primum diuortium cũ uxore fecit sterilitatis causa. Liguribus, & cæteris Alpinis gentibus bellũ est illatũ. Cũ Trãsalpini se cõiunxissent Italis cladem illaturi, magno terrore affecerunt Romanos. Itaq; exercitus ex Romanis & socijs & nomine Latino scriptus est sexties centum milium peditum, equitum uero septuaginta. Istæ erant tũc uires Italiæ siue Trãspadanorum, qui per id tempus hostes erãt populi Romãi Lucio Aemylio Paulo, Caio Attilio Regulo cõ

sulibus

ſulibus. Poſt Gallos uicere & cecidere Aemylius primum, deinde Flaminius, poſtremo Claudius Marcellus Conſules. Marcellus opima retulit ſpolia. Tertia & ultima de Viridomaro Gallorum rege. Bellum Illyricis illatum eſt, quod Romanum legatum uiolarunt, iubente eorum regina, quos domuit Cneus Fuluius Centimanus. Cum hiſtrijs etiã bellatũ eſt, quod Romanas intercepiſſent naues. Poſt uicit Minutius Rufus, ſed non uictoria incruenta, quæ quidem omnia intra tres & uiginti annos ſunt facta.

¶ Secundum bellum Punicum.

HAmilcar dux Carthaginenſium primo Punico bello filios tres genuit Hannibalem, Haſdrubalem, & Magonem. Hannibalem puerum adhuc iurare coegit, ut cũ primum poſſet hoſtis eſſet populo Romano. Ita Hannibal declaratus in Hiſpania imperator cauſã belli cũ Romanis quæſiuit, oppugnato Sagunto ſocia Romanorum ciuitate. Hic enim, cum ob eam iniuriam Romani bellum Carthaginenſibus denunciaſſent, in Italiam per Galliam & Alpes maximo cum exercitu tranſiuit, uictis omnibus gentibus,

quæ obsistere conabãtur. Et in Italia ad Ticinũ amnẽ et ad Trebeã, et ad Thrasimenũ lacũ tribus ingẽtibus pugnis Romanos uicit. Q. Fabius Maximus dictator primus intellexit tã inuictũ exercitũ mora esse frangendum, non uiribus. Ita cunctando tempus conabatur extrahere. Idcirco cunctator est appellatus. Sed Terentius Varro consul tertio anno belli ad Cannas cũ Hannibale conflixit, qua pugna quadraginta quinq; milia Romanorum cecidere, & alter consul L. Aemylius Paulus, Ita ut multi ex nobilibus Romanis deliberare cœperint de Italia deserenda, quos Publius Scipio, qui postea Africanus est dictus, minis retinuit. Hoc ulnere ad priora addito parum abfuit, quominus Roma ipsa caderet, Et cecidisset, si ut cõsulebat Hãnibal recta a Cãnis ad urbẽ exercitus uoluisset cõtendere. Sed diuertit in Campaniã, ubi luxu & uoluptatibus Campanijs eneruatus est. Itaq; postea minor quotidie & imbecillior est factus. Claudius Marcellus prætor docuit Hannibalem posse uinci. Nam eruptione ex Nola facta fœliciter cõtra eum congressus est. At Hannibal, tametsi cadẽtibus ipsius rebus, ciuiliq; inuidia (qua Carthagine labora-

laborabat) aduersam tamẽ fortunam corrigebat arte. Itaq; post hæc omnia, & Tarentum cepit, & Centenium Penulam cum octo milibus militum cecidit, & Cneum Fuluium prætorem magno prælio superauit. Ad tertium ab urbe lapidem super Aniẽ fluuium castra posuit. Ipse usq; ad portam Capenam cum duobus equitum milibus uenit, & alterum Cneum consulem prostrauit, & egregiũ bello uirum Claudium Marcellum quintum consulem in insidias a se præcipitatum interemit. Tandẽ anno decimo tertio belli Publius Cornelius Scipio consul cum traiecisset in Siciliã, & inde in Africam, Hannibalem ex Italiæ possessione inuitum, & repugnantem detraxit. Coactus est enim ferre patriæ opẽ, quæ Romanorum armis uastabatur. In qua terra uict⁹ ẽ a Scipiõe, fugitq; ad Antiochũ Syriæ regẽ. Tum Carthaginenses pacem petierẽ supplices, quam imposito tributo impetrarunt, Scipioq; triũphauit, & a prouincia deuicta Africanus cognominatus est. Finis est impositus huic periculosissimo bello anno. 17 postq̃ ẽ cœptũ Cneo Cornelio Lẽtulo, Publio Elio Peto consulibus, a cõdita Roma quingẽtesimo quinquagesimo secũdo.

Quæ

¶ Quæ eodem tempore acta, & quæ uires populi Romani.

INGENTES atq; admirabiles fuisse uires populi Romani, uel hoc erit documēto, quod eodē tpe, quo bellū cū Hannibale gerebatur tam graue & periculosum, ut ppiores fuerint periculo ꝙ uicti. Cū ergo ita defecti essent uiris, ut serui cōtra morē fuerint armandi. Cesa enim sunt ducēta septuaginta milia peditum .In medio uero belli ardore, Claudio Nerone, Marco Liuio Salinatore consulibus, Publio Sempronio Tuditano, Marco Cornelio Cethego censoribus adeo defecti armis extitere, ut sacra arma templorū tholis detrahenda fuerint, & destituti pecunia, ut etiā matronæ aurum & argētū suum in publicos usus dederint, tamen & cū Afris in Italia, & in Hispania, & cū Siculis in Sicilia, & cum Sardis in sua insula, & cū Gallis ad Padū & Alpes, cū Philippo in Macedonia Acarnanibusq; in Græcia bellū gerebatur, & ad omnia hæc bella mittebātur exercitus, & subinde supplementa siue exercitus, quos in Italia uarios habebant, nec ullo bello succubuerūt, ꝙuis prælijs uicti permultis. Eodē quo dixi anno, Nerone & Liuio consulibus, respublica & in

Italia, & extra Italiã gubernata ẽ, atq; unaquæq; legio minimũ quatuor milia peditun habebat, equites trecentos. Binas legiones habuerunt consules in Italia, quatuor militabãt in Hispania, duæ in Sicilia, duæ in Sardinia, duæ in Gallia, duæ in Hetruria, duæ in Brutijs, duæ circa Tarẽtũ et Salẽtinos, una Capuæ, duæ in urbe. Intermissũ erat eo tpe bellũ Macedonicũ aduersus Philippum.

¶Prouinciæ Romanorũ.

VIctis primo Punico bello Carthaginẽsib9 Sicilia Romanis cessit. Ea fuit prima puincia, q̃uis nõ tũc tota, Nã Hiero amicus populi Romani in eius parte regnauit. Secũdo bello Punico interfecto Hieronymo Hierõis filio, tota fuit Romanorũ, rectaq; ẽ p prætores singulos, & quæstores binos Syracusanũ, et Lilybetanũ. Secũda fuit Sardinia cum Corsica, quam post primum bellum Punicũ motu Africæ Romani a Carthaginẽsibus interceperant. Et eæ insulæ per prætores sunt administratæ. Tertia est Hispania duplex, citerior & ulterior, in qua res gestæ sic se habent.

¶ Res in Hispania gestæ.

ROmanus exercitus in Hispania ante secũdũ bellũ Punicũ null9 fuit. Primo an. ei9 belli

ea pro-

prouimcia decreta est. P. Cornelio Scipioni, qui cũ fratre Cneo exercitum in Hispaniã per iuga Pyrenei duxit, ibiq; non tã cum Hispanis res fuit Scipionibus q̃ cum Afris, qui in ea terra multum ditione poterant. Nec Hispania unq̃ tota aduersus Romanos conspirauit, sed per partes, quæ intra ducentos annos expugnata est. At bellatum est in Hispania a Scipionibus ad Augustũ Cæsarẽ, hoc est anno post conditam Romam quingẽtesimo tricesimo quinto usq; ad septingentesimum uicesimũ. Quamq̃ non continenter, sed non raro intermissis bellis, Ita Publius & Cneus Scipiones primum multos populos Romano imperio in Hispania subegere. Hinc Scipio Africanus Publij filius totam usq; ad Gades citra & ultra iberum amnem domuit. Duæq; prouinciæ sunt factæ citerior & ulterior, & per prætores administratæ, quamq̃ interdum & consules ad bellum gerendum sunt eo missi, nam Marcus Porcius Cato senior in suo cõsulatu Celtiberos multis prælijs uicit ac fregit. Deinde Gracchus qui bis fuit consul centum & quinquaginta urbes eorundem suo subiecit imperio. Demum Brutus consul usq; ad Oceanum cum exerci

tu uictor peruenit. Scipio Africanus posterior Numantinos deleuit, magnamq; partem Hispaniæ, quæ rebellarat, recepit. Cum Viriato Lusitanorum duce periculose p quatuordecim annos bellatū ē a Sertorianis, totaq; pene Hispania defecerat, sed eam Pompeius Magnus recupauit. Caius Cæsar dictator populos, qui rebellauerant in ea, subegit, uictis bello ciuili Pōpeiano Africano, & præter eos q erāt Pōpeianarū partiū ante Pompei mortē & post eius mortem filiis eius, Cneo & Sexto. Cantabri & Austures, qui montibus se tutabātur ac pene inuicti permanserant, tandem a Cæsare Augusto perdomiti sunt. Post id tēpus Hispania omnis quietissime Romanis paruit usq; ad tempora Gothorum.

¶ Quid domi forisq; actum usq; ad tertium bellum Punicum.

Medio ardore belli Punici secundi bellum Philippo regi Macedoniæ illatū ē, quod is occultum fecerat cum Hannibale fœdus. Hoc bellum pp̄ter Aetolos intermissum est usq; dum secundum fuit confectum. Tunc repetitum propter quærelas Atheniensium, quos Philip

pus

pus & Acarnanes uexabāt. Anno .541. Publio Sulpitio Galba, Cneo Aurelio Cotta consulibus. Tum regē Titus Quintius Flaminius magna uirtute uicit, pacēq; illi dedit, & ueterē Graeciae libertatē instaurauit. Hannibal, cū a Scipiōe Africano uictus, ad Antiochū Syriae regē cōfugisset, illum multa suadēdo atq; hortando aduersus Romanos incēdit, ita bellū in Syria gestū, Primū ab Attilio Glabrione cōsule, deinde a L. Scipione Africani fratre. Cū enim eo legatus esset Africanus, ipse rex ē a Scipiōe supatus, & iussus ultra Taurū mōtem regnare, pacē imbellis homo obtinuit. Scipio a diuicta Asia, Asiaticus ē appellatus, exercitus eius Asianas delitias in urbē inuexit. Africanus cū bis cōsul & censor fuisset, accusatus a Neuio tribunoplebis, quod magnā Antiochenae praedae partē interuertisset, ne patriae qetē turbaret, Linternū in uolūtariū exiliū iuit, ibiq; moriens uxori mādauit, ne ossa in patriā reportaret ingratā. L. Aemylius Paulus de Liguribus triūphauit. M. Cato cū Lucio Valerio Flacco cēsurā egit, sed ueram et acrē. Eodē anno quo Scipio ē mortu⁹, Hānibal etiam interijt in Bithynia ueneno hausto. Cū ad

eum

cũ a Prusia rege deposcendũ missus esset Titus Quintius Flaminius, ad hũc nãq; regẽ se contulerat post fractas Antiochi opes. Mortuus est eodem anno Plautus poeta comicus. Bellatum est interea prospere inter Celtiberos & Lusitaniã in Hispania. Perseus Philippi filius, Macedoniæ rex solicitata Carthaginensi ciuitate, bellum aduersum Romanos moliebatur, contra quem missus est primum Publius Crassus consul, q̃ leuibus aliquot prælijs prospere cum eo dimicauit. Deinde Caius Martius Philippus. Postremo Lucius Aemylius secũdum consul regem in Samothracia cepit, deq; eo triumphauit per triduum, ingentemq; pecuniarum uim in ærarium intulit. Populus Romanus hoc tempore usq; adeo creuit, ut reges libertos se eius appellarent, cum Eumenes Romam uenisset, quoniam non liquebat, amicus ne esset an hostis, ne exclusus uiueret si amicus, neue temere admissus esset si inimicus, Catone autore lata est lex, ne cui regum liceret Romam ingredi. Gesta sunt & alia ignobilia bella in Gallia, Hispania, Italia, Illyrio, & Dalmatia. Hic est annus a condita Roma duodesexcentesimus.

Tunc

Tunc creatis consulibus in proximum annum, introductus est mos designandi & in tertiũ quoq;.

¶ Bellum tertium Punicum.

ANNI sunt inter secundum & tertium bellum Punicum quadraginta nouẽ. Anno urbis cõditæ sexcẽtesimo altero Lucio Licinio Lucullo, Aulo Posthumio Albino cõsulibus, cœptũ ẽ in senatu agi de bello Carthaginẽsibus inferẽdo qđ a legatis Romãis magna uis naualis materiæ Carthagine esset inuenta. Cato Censorius hic faciũdũ cẽsebat, Cornelius Scipio Nasica, is q uir optimus ẽ dictus, uehemẽter dissuadebat. Post duos annos Marco Manlio, & Martio Censorino consulibus Cato persuasit senatui, nõ modo ut bellum fieret Carthagini, sed etiam ne illinc exercitus discederet, quousq; esset deleta. Cũ a consulibus copiæ essent in Africam traductæ, Carthaginenses iã afflicti antea a Masanissa rege Numidarũ legatos ad consules miserũt, qui nomine senatus Carthaginensis dicerent facturos eos quicquid Romani imperassent, quorum sententijs Romani sese obsequuturos promittunt, dum traditis armis & nauibus, & trecentis iuuenibus ex nobilissimis

lissimis ciuitatis obsidibus, decem mi libus passuum magis intra mediterranea urbem conderēt, ea quā tunc incolerent, diruta. Maluerunt igitur extremā fortunam bello experiri. Illo anno ancipiti Marte est pugnatum. Cœpta est obsideri, oppugnariq; Carthago a L. Martio, Marco Mālio consulibus. Tertio an. P. Cornelius Scipio, Pauli Aemylij Macedonici filius, q in familiā Corneliā transierat, a Scipiōe filio Africani adoptatus, solutus legibus ante legitimum tempus consul est factus, eiq; sine sorte mandatum est Africum bellum. Hic reformata disciplina militari grauiter pressam obsidione Carthaginem expugnauit & incendit Durauit incendiū septemdecim dies. Deleta ē Carthago septingētesimo anno postquā est condita.

¶ Quid postea domi forisq; actū usq; ad bellum Numantinum.

ANNO urbis conditæ sexcētesimo quinto Caio Cornelio Lentulo, Lucio Mumio cōsulibus, cū Corinthi Romanorū legati pulsati essēt, Mumius Achaiā totā in deditionē accepit, Corinthūq; ex senatus consulto incendit, Thebas & Chalcidē diruit, quod auxilio Corinthijs

fuissent

fuissent. Andriscus quidam filiũ se Persei finxit, quem Macedoniam turbantem Demetrius Syriæ rex captum Romam misit. Deceptis uero custodibus cum in Macedoniam redisset, Philippum se appellauit, Armaq; contra Romanos cepit. Hunc uicit Quintus Cæcilius Metellus, qui ob id Macedonicus est dictus. Tunc Macedonia in prouintiæ fomam redacta est. Viriatus in Lusitania ex pastore uenator, ex uenatore latro, ex latrone ob strennuitatem dux repente factus est, Totãq; Hispaniam ad arma concitauit, propter triginta milia Lusitanorum, quos Sergius Galba inique trucidauerat. Deuicit Marcum Vetiliũ, Caium Plautium, Publium Claudiũ Vnimanum, prætores Romanos. Per annos quatuordecim cum Romanis bellũ gessit, Nec prælio superatus est. Sed a proditoribus est interemptus opera Seruilij Scipionis consulis, qui aduersus eum fuerat missus. Extitit & alter Pseudophilippus in Macedonia, quẽ Lucius Cornelius quæstor pressit, fuditq;.

¶ Bellum Numantinum.

CVM Numantini Sedegenses socios & cognatos suos arma Romanorũ fugientes in urbem

urbem recepissēt Magara duce armis sunt etiam tētati. Quocirca bellum ē illis a Romanis indictū. Quod ipsi quatuordecim annis strenue gesserūt. Victaq; sunt triginta Romanorum milia plærūq; a Numantinis quatuor milibus. Cū Pōpilio Romanorū cōsule, quē expugnare poterāt, fœd9 fecerūt, qd' fœdus senatus reprobauit. Hostiliū deinde Mācinū consulē ad fœdus ignominiosū cōpulerūt cum possent eū cū toto exercitu delere, nec id fœd9 placuit senatui, itaq; more maiorū ad id expiādū hostibus est Mancinus deditus. Missus postremo Publius Scipio Africanus posterior, secundum consul. Is restituta seuerissime disciplina militari Numantinos secundis aliquot prælijs fatigauit, compulsosque intra urbem misereq; obsessos ad extrema tētanda adegit. Postremo Numātini se, coniuges, & liberos, partim ferro, partim ueneno sustulerunt, urbēq; totam incenderunt. Scipio de solo triumphauit nomine, anno Romæ conditæ sexcentesimo undeuicesimo.

¶ Quid domi forisq; actum usq; ad seditionē Tyberij Gracchi.

Bellatū ē interea cū multis Hispaniæ populis partim infeliciter, partim pspere. Deci9 Brutus con-

consul uictis Galeijs ad Oceanum usq; occidenta lē est progressus. Vaccei eodem modo, quo Numātini adacti & oppressi se interimerunt Vardei in Illyrio sunt subacti, et Cornificij in Thracia in ditionem Romanam cessere.

Tyberij Gracchi seditio.

TITVS Sempronius Gracchus bis consul, bis triumphauit & censor fuit, inter reliquas proles quas tulit ex Cornelia minore Africani prioris filia Tyberiū & Caiū Gracchos genuit, altissima indole, sūma strēnuitate, et sūma eloquētia præditos, quorū Tyberius maior natu, q sub Scipiōe in Africa, meruerat Tribunus plebis factus ueterē Liciniā reuocauit, qua cauebatur, ne qs plura q̄ quingenta agri iugera possideret, addito capite, ut fructus ad eā diē pcepti ueteribus possessoribus restituerētur, sed pretium solueretur ijs qui agros, quos essent relicturi, ad diuidēdū ab alijs emissent. Senatus & ditissimus quisq; huic legi refragabatur. Intercedebat & Mar. Octauius tribunus plebis, sed uictis diuitibus, et Octauio tribunatu abrogato, lex est per otium perlata, creatis triumuiris, agrorum diuidendorum, ipso Tyberio Gracho

latore

latore legis & Caio eius fratre, qui apud Numantiam sub Scipione, & Appio Claudio militabat. Deinde cum serio fieret agrorum diuisio, indiesq; Tyberius populari fauore suffultus atq; opũ præsidijs munitior redderetur, et potẽtiæ, atq; asciti imperij magnitudine cõfidentior, occeptum a senatu in Tyberiũ atrociter inuehi, ne tandẽ illius ita insolẽti ꝓteruitate respublica Romana in summũ splẽdoris elata fastigium turpiter in ruinã dissolueretur. Itaq; Scip. Nasica salutari cõcione cõsules cohortatus est, ut remp. tuerẽtur. Cũq; eos cunctãtiores cerneret, dixit uti se consequerẽtur, q legũ sanctarũ incolumitati, & reip. saluti bene, & prouidenter cõsultũ esse uellẽt, quẽ antesignanũ agminatim comitãtur plurimi, impetuq; facto in Capitolium irrumpentes, Tyberium cum populi concione de continuatione sui tribunatus agentem fragmentis subselliorum interfecerunt, pari cede in obuios quosq; degrassantes, quorum maxime studia deprehẽderãt in hoc peculiariter uersari, ut excitatis seditionũ fluctibus totius reip. ordinẽ in publicæ direptionis cõfusionẽ cõtraherẽt. Horũ cadauera ueluti peripsemata quædã in Tyberinũ fluẽtũ abiecta sũt. Atq; hæc fuit prima Ciuilis

ſcordia, in qua ad cruorē uſq; progreſſū eſt, anno poſt cōditā Romā ſexcenteſimo decimo ſeptimo.

¶ Breuis enumeratio eorū quæ ſequuta ſūt uſq; ad Chriſtū natū, quæ quoniā eorū ubiq; apud rerū ſcriptores copia ē expromptiſſima, ſatis erit uel notis indicaſſe.

POterā candidiſſime Lector, quæ iā ſuperſūt cōmemorāda uberrime ex nūeroſiſſimis illis priſcarū rerū authoribus decerpta iſthuc cōmodū attuliſſe, ac uelut cētones ſuffarcinare. Verūenimuero quoniā & de hiſce rebus paratiſſima librorū copia ubiq; citra negotiū uel etiā maxime inopibus offeratur, atq; iniquis hæc cōmentando temporū ſpatijs ſic excluderer, ut hāc in rē ex otio pleniore uacare nō potuerim, æqui boniq; conſule hæc qualiacūq; cādidiſſime lector, olim me tui cādoris fiducia adiutū ad accuratius qppiā elucubrandū animaturus. Et proinde ſi quid parū exacte obſeruatū extiterit, maligniuſq; tractatū ꝙ ꝓ oblatæ materiæ modulo, legētiū benigitatē obteſtor, ut citra aculeū & dentē emendēt. Superāt uſq; ad Chriſtū natū, quæ ſequūtur. Seditio Caij Gracchi Tyberij fratris, quæ ancipiti quodā rerū tumultuoſe fluctuātiū metu totā remp. ꝑculit et cō

cuſſa

cussit, in ea enim ad ferrũ usq; cruētũ pgressũ est. Hãc sequutũ ē Balearicũ bellũ, quæ insulæ a Metello, qui ex euētu felicis uictoriæ Balearic⁹ dict⁹ ē, lõga obsidiõe pressæ, tãdē expugnatæ in Romani imperij ditionē cesserũt, insulæ quidē cõtra Terraconēsia littora sitæ, Græcis dictæ Gymnesiæ, fũdarũ iactu insignes, quarũ ingeniũ ad pdigiũ usq; admirabile monimētis literarũ pdidit Lycophrõ, quē autorē Florus ca. 8. lib. 3. imitat⁹, ppe similia retulit. Sed libet paucis perstringere, quæ Plinius. 55. cap. lib. 8. literis mãdauit. Tãtũ apud Baleares aliquãdo cuniculorũ puētũ fuisse, ut auxiliũ militare a diuo Augusto in horũ pfligationē depoposcerint, ita magno et incredibili nũero exscaturiētiũ, e cauisq; locis emergentiũ, ut insultãtibus illis ob frugum satorũq; corrosionē publicã famis clades, nisi tpi remediũ admotũ esset, certo affutura uideretur. Sed ad institutũ redeat oratio. Allobroges, ut uult Ptolomæ⁹, ad tractũ Lugdunensē olim siti Quinti Fabij Maximi uictoria et Catilinæ coniuratione notissimi sunt.

¶ Iugurthæ Numidarum regis adulterini opes a Metello Numidico perfractæ sunt, A Caio autē

Mario excisæ, capto Iugurtha, et in triumphū au ▢o. qua de re ex professo Salust. ita scite et apposita uerborum grauitate cōmentatus est, ut a nemine ullo qcq̄ expolitius cōstrictiusue dici queat.

¶ Bellum Cimbricum.

Cimbros et Theutonas trās Istulā hodie sic cognominatos equestris ordinis, eo tamē nomine passim p totū Europæ tractū fusos Caius Marius incredibili fœlicitate funditus deleuit. Sed id tpis facinus plane (cui par, dignūq; suppliciū admoueri nō posset) exoritur, q̄q olim sepius impune cōfusis tēporibus designatū. Publius Maleolus primus omniū pœnā parricidij matre interēpta impius subijt.

¶ Bellum sociale.

In hoc cōtra omnes ppemodum Italiæ populos quod pmissa a Liuio Druso ciuitati nō præstarētur, tāta acerbitate depugnatū est, ut eā uictoriā plane Cadmeā extitisse a plerisq; memoretur authoribus, ubi uictori cū uictis paria calamitatū genera ex æquo illata cōtigisse adseritur. At tādē ubi uario Marte incredibiliq; euētu pugnatū esset, uariorum ducum auctu atq; auspicijs populus Romanus uictoriam cōsequutus est.

¶ Bellum

¶Bellum Ciuile Marianum.

NAM inter Mariũ & Syllã uictus est tandẽ Marius. Deinde inter Mariũ, Cinnam, & Octauium, Octauius uarijs certaminum exercitus, cõmotusq; cladibus, in gladium misere incubuit occisus. Marius uero in conspicuo positus, reipublicæ tota possidens fastigia septimum consul suo fato interijt.

¶ Bellum Mithridaticũ exoritur, in quo Sylla generis Romani labes & propudium satis prospere administrauit. At hanc ciuilis sanguinis pluuiei miseriam excepit bellum ciuile Marianũ secundũ, quod Sylla aduersus Marium filiũ eo euẽtu feliciter succedente Martis numine ita inijt, ut eo profligato, imo exercicu fuso trophæum uictoriæ adeptus, Romanæ reipublicæ dictaturam centum & uiginti annis insolentissime & citra exemplum sibi uendicarit, quam, ut sunt uaria mortalium fata, post bienniũ deposuit. Huius enim hominis prodigiosi immanitatem, proscriptiones probissimorum ciuium, innoxiorum exilia, bonorum inique publicatorum auctiões, ærarij expilationẽ, & deniq; publcarũ, priuatarumq; rerum

omnium direptiones narrare, ecquid aliud uideri potest, quam describere hominem omni genere facinorum coopertum, fictum, factum, & conflatum ex omni iniquitatis quasi coagulo. Itaque ut paucis ex instituto, quadam serie tumultuaria cætera quæ emerserunt per id temporis commemorentur. Cneus Pompeius adolescens, qui postea cum in Asiam, iussu senatus Romani traiecisset aduersus Domitium fœliciter commissus, illustrique uictoria potitus a Sylla, cuius Aemylianam priuignam in uxorem duxerat, primum Magnus salutatus est, ac præter omnium consuetudinim, uix adhucdum pubescens triumpharit, is, inquam, ciuilium bellorum reliquias persequutus est, atq; tandem uarijs perfunctus laboribus, atroces, noxiosq; seditiosi Lepidi tumult⁹ penitus extinxit. Cūq; Marcū Aemyliū cōsulē cōspiceret, Sylla iam ad interitum adacto, intestinorum certaminum existere autorem, in reiq; publicæ uiscera, cruento quasi ferro perstringentem, uexantem, & lancinantem, protinus incredibili felicitate & celeritate ab eo oppressus est, uir reipublicæ saluti sic natus, ut propriæ uitæ discrimine,

more maiorum, priuato illo commodi affectu destituto, solam publicam salutem quæsisse videatur. Hic est Pompeius ille, qui autore Manilio, contra Hortensij & Catuli sententiam clarissimorum heroum, bello aduersus Mithridatẽ regem Ponti gerendo præfectus est. Hic uicit Spartacum, Sertorium, bella piratica totum Oceanum infestantia consopiuit, aliaq; strategemata inusitati exempli confecit, quæ illius nomini nihilo immerentius adsunt etiam ex posterorum memorijs nunquam exolescituro, quam Philippo & Alexandro, qui, ut ait Seneca, exitio gentium clari non minores fuere pestes mortalium, ꝙ inundatio, qua planum omne perfusum est, aut conflagratio, qua magna pars animantiũ exaruit. Adhæc Lucius Lucullus cũ aduersus Mithridatẽ aliquandiu esset cõflictatus, eiusq; aduentu, ut ait Plutarchus, a Mithridate cẽtũ. xx. milia peditũ. x. et sex milia eqtũ coacta essent, nihilo secius tamẽ præter Synopẽ, Põti omnes ciuitates in Luculli fidẽ sese cõtulere. qua de re Appianus. In huius locũ nõ multis post tpibus Põpeius suffectus ẽ, q ei bello uaria et ancipiti uictoria gesto iãdẽ finẽ imposuit, occiso rege.

Conjura

¶Cōiurationē Lucij Sergij Catilinæ deleuit Marcus Tullius Cicero tum cōsul, quā fide, uigilantia, & consilio ita a reipublice ceruice propulsauit, ut citra huius adminiculum nefario conatu Catilinæ in publici ordinis exitium erumpēte (sic meminit Salusti⁹) de imperio Romano actū esse uideretur. Exulauit Cicero magno cum tumultu, & mœrore ciuitatis, ingēti cum gaudio restitutus sextodecimo post mense.

¶Caius Iulius Cæsar missus est in Galliā Trāsalpinā, quā spatio annorū decē in ditionē Romanā redegit, sed tāto discrimine illi parta ē uictoria, ut suis ipsius commētarijs magna fide ancipitia pericula sui exercitus infulciens nihilo minorem malorum Iliadem prodidisse uideatur q̃ Homerus.

¶Bellū fugitiuorum Marcus Crassus prætor confecit, qui cū filio a Parthis misere ad Carras cesus ē. Hoc anno Vergilius sūpsit uirilē togā. Cūq; iā populus Romanus absente Cæsare ꝑpemodū ab uno Pōpeio, qui popularē plausum sua placabilitate & clemētia erat emeritus, administraretur, Cæsare reduce in patriū præter omniū expectationē grauē inter utrūq; bellū & periculosū exoriū est

uarijs

uarijs in locis a uarijs ducibus, varioq; gestũ Marte. At tandẽ Cæsar, qui castrensibus illis laboribus occalluerat, etiã tũ ferox, disciplinæq; militaris ob usũ, in quo annis decẽ in Europa obhæserat, scientissimus, Pompeiũ uicit, dictaturãq; arripuit perpetuã. Sed fere exemplo Sylle uix in sui imperij fastigio exacto triẽnio a Bruto & Cassio Romanæ libertatis alteris Camillis et uindicibus, etiã ꝓborum ciuium numero comitatis occisus misereque præfocatus est.

¶ Bellũ Ciuile omniũ bonorũ contra Marcũ Antoniũ, quo anno consules fuerũt Aulus Hircius, et Caius Pansa, qui in prælio, quod ad Mutinã cum Antonio cõmiserũt, cũ incautius studio & amore libertatis publicæ tuendæ in confertissimos hostes ferrẽtur, uterq; confossus interijt. Hoc an. plurimi scriptores finẽ faciunt libertatis populi Romani, q̃ omnibus gẽtibus cõspicua uirtute quaquauersus orbis terrarũ fines exporrigũtur sua signa extulerãt. At nũc, ut sunt res mortaliũ ancipiti uicissitudine cõplexæ et cõsertæ, tota respub. in tyrãnidẽ abrepta, ueluti manibus raptãtium misere exposita distrahitur, adeo ueteris ordinis, dignitatisue priscæ

reip.

reip. non modo succus & sanguis subsisteret, sed nec color, nec speciei ullũ amplius emicaret uestigiolũ. Hoc tpe nascitur Ouidius poeta styli facilitate, & sententiarũ grauitate praecipuus. Caeterũ hãc calamitatẽ comitatur Triumuiratus Marci Antonij, Marci Lepidi, et Octauij Caesaris, numerosissimaque uirorũ & foeminarũ pscriptio. Tum bellũ ciuile Brutianũ et Cassianũ, sicuti malorum semel emergentiũ ppetua series exoritur. Ab Antonio suscipitur Octauij etiã praesidijs et subsidijs pbe munito, q in campis Philippicis psusis hostiũ copijs clarę uictoriae trophaeum sibi cõstituerunt. Ad haec bellũ ciuile inter Octauiũ & Luciũ Antoniũ Triumuiri fratrẽ mouetur, quẽ diu obsidiõe Perusiae circũsessũ, Octauius in deditionẽ coegit. Deinde bellũ Siculũ exoritur inter Octauiũ & Sextũ Pomp. Cnei filiũ, qđ classibus gestũ ẽ, ppe modũ maiore felicitatis successu a Põpeio, q̃ ab Octauio. Sed, ut solet fortuna suos subinde in diuersum euariare uultus, postrema pugna supatus Põpeius in Asiã suffugit, ubi cũ ab integro uires bellũq; instaurare niteretur, ab Antonianis militibus interfectus ẽ. Ita enim magna potestas in imũ soli

ta est cõcidere. Porro bellũ ciuile Antonianũ gestũ ab Octauio & Mar. Cicerõe. Tull. Cicerõis filio cõsulibus, cõtra Mar. Antonium & Cleopatrã Aegypti reginã, in cuius libidines Antonius solutissimus quasi totis habenis defluxerat, omniq; animi & coropris robore defectus, Hannibali Cãpanorum delitijs emollito, non ita multum dissimilis, ad Actium nauali prælio uictus, in Aegyptum propere fuga sese recepit, canente Vergilio, Actia bella, Cernere erat totumq; instructo Marte uideres Feruere Leucatẽ, auroq; effulgere fluctus. Ibi quoq; Appollinis quõdã Actij tẽplum, et ludi quinquẽnales, instar Olympiorum, quorum tertio Aeneidos Maro meminit. Profligatis igitur desperatisq; rebus, Antonius cum nusquã suæ salutis præsidium aut asylũ sibi adesse cõspiceret, una cũ sua Cleopatra, ultro in ferrum incubuit, & proinde totum imperium in Octauium recidit, qui Augustus ẽ appellatus. Imperii huius, anno. 40. altero pace terra mariq; parta, a cõdita urbe septingẽtesimo qningẽtesimo secundo, natus est Iesus Christus Opt. Max. rex pacis, generis humani cõditor seruatorq;, octauo Calend. Ianuarias.

Status

¶ Statuss populi Romani post inceptam monarchiam.

POPVLVS Romanus a principatu Augusti, usq; ad captam Gothis Romam per quadringentos circiter annos plus minus a principibus administratus est bona ex parte flagitiosis, tãtoq; facinorum genere coopertis, ut uix quatuor aut maximum quinq; boni extiterint. Creabantur quidẽ consules, et administrationis ueteris rei publicæ status nominibus dũtaxat tenus manebat. Nam unus & erat, & omnia poterat Imperator. Senatus, populusq;, & magistratus omnes in assentationem principis omnino detorti, libertatem exulantis tum ueritatis non tuentes, aliud curabant nihil, q̃ titulos & honores humanum omne excedẽtes fastigium excogitare, quibus per sordidissimã & plusquam seruilem adulationem principes suos honorarent. Porro istis affectibus ipsi principes ita sunt abusi, æquitatis, integritatis, & clementiæ desertores, ut totum populum citra discrimen, pro uilissimis mancipijs duxerint, qui quoq; nimietate illa fortunæ, quam ferre & sustinere non poterant.

rant, insolentissimi, crudelissimi, nec feris, nec hominibus tolerabiles reddebantur. Post captũ uero a Gothis urbem & prorsus dirutam principes Constantinopoli uixerunt. Italia uero per præfectos est administrata, usq; ad Carolum Magnum Pipini filium, in quem Romanus pontifex ius imperij Græci transtulit, cõstitutis in Germania Septemuiris, qui Cæsarem eligerent, qui cum propemodum semper in Germania sese continerent, Roma a summo pontifice recta est, quod genus administrationis etiamnum consistit.

VVarsenius ad lectorem candidũ.

HABES hic candide lector rerum gestarum ab urbe condita ad natum usq; Christũ, quãdã Isagogẽ, siue potius indicẽ qualẽcumq;, cuius ductu uelut cuiusdam Cynosuræ allucentis fulgore, quisq; summa facilitate in memoriam reponat, citra ullum oberratiõis diuerticulũ, quæcumq; aut apud Dionysium Halicarnaseum, aut etiam in magnis illis Liuianæ historiæ uoluminibus lectione compererit. Istinc enim uelut ex quibusdam memoriæ subsidiarijs commentariolis colliges

liges, belloru, præliorum, mirabilium, & inopinabilium euentuum uaria quædam momēta, fortunarum inique rebus humanis insultantium ludibria, quibus cogitatiōe animi comprehensis summa quædam tibi admiratio, atq; etiam rerum prudentia conferetur. Boni ergo consule hanc operā, quæ uel istud commodum historiæ priscæ candidatis exhibuerit. ut olim nostra industria ad eius operis copiosissime præstandi elucubrationē reuocetur. modo iam istius qualiscumq; gustus primum specimē proditum lectoribus haud quaq̄ ingratum extitisse persensero. Vale, datum Curingiæ An. 1534. ipsis Idibus Aprilis.

LOVANII
Ex officina Rutgeri Rescij
An. 1534.
Mense Sept.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm